DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES DA SILVEIRA CALDEIRA,

LUSITANO-FAYALENSIS.

Ad Calendas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXV.

ILLUSTRISSMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

D. D. DOMINICO DE SOUZA COUTINHO,

COMITI DE FUNCHAL,

AUGUSTISSIMI LUSITANIÆ PRINCIPIS

APUD AMPLISSIMUM BRITANNIÆ REGEM

LEGATO,

&c. &c. &c.

QUI SUMMIS USUS HONORIBUS,

HONORES IPSOS VIRTUTE NOBILITAVIT;

ET, REBUS AMPLIS PRÆCLARUS,

IIS LIBERALITER FRUENDO,

NOMEN ETIAM PRÆCLARIUS

SIBI ADEPTUS EST;

TOT, TANTISQUE MERITIS

ALLECTO,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

QUALEMCUNQUE SIT,

MAXIMÆ PIGNUS OBSERVANTIÆ,

SACRAM ESSE VOLUIT

JOANNES DA SILVEIRA CALDEIRA.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

FEBRES, quæ per vicem impetum suum remittunt, vocantur Intermittentes, et a Clar. CULLENO sic definiuntur: "Febres miasmate paludum ortæ, paroxysmis pluribus, apyrexia, saltem remissione evidente interposita, cum exacerbatione notabili, et plerumque cum horrore redeuntibus, constantes."

Febres intermittentes secundum tempus, quod in circuitu absolvendo occupant, in Quotidianas,

tidianas, Tertianas, et Quartanas, dividuntur, et usque etiam ad Octanas a quibusdam auctoribus enumerantur, sed ultra quartanas rarissime occurrunt, et tertiana longe aliis frequentior est.

Tertiana regularis post quadraginta octo horarum intervallum, circiter meridiem, plerumque redit. Quartana autem post elapsas septuaginta duas horas, et post meridiem recurrit. Quotidiana expletis viginti quatuor horis, et semper mane, iteratur.

Febres intermittentes sæpe varios alternatim induunt typos; nonnunquam sub specie febris continuæ incidunt, et paulo post in remittentes migrant; nunc tertianæ, nunc quartanæ typum assumunt; modo tempus accessionis anticipant, modo postponunt.

In singulis accessionibus tria notantur stadia, Frigoris nimirum, Caloris, et Sudoris, quæ ordine, quo usitatius occurrunt, nunc describenda sunt.

STADIUM FRIGORIS.

ÆGER imprimis languore, lassitudine, ad motum quemcunque exercendum impotentia, oscillatione, et pandiculatione afficitur; hæc signa subsequuntur leve extremorum frigus. Dein sensum frigoris sub initio in dorso, dein in corpore toto, percipit æger, quo in tempore revera calet corpus. Hebescit oculorum acies, qui admodum languidi nitore solito penitus orbantur; facies, et extrema pallescunt, et contrahuntur; externus corporis habitus extenuatur, et cutis per totum corpus sordida, et rugosa fit, quasi frigore constricta. Frigoris sensu intensiore facto, qui ad gradum 74° * aliquando pervenit, tremit maxilla inferior, et universum corpus gradatim tremoribus concutitur; apex narium, labia, digiti, et ungues præsertim livescunt. Post frigoris sensus, ejusque effectuum aliquandiu continuationem, symptomata leniora redduntur, et faciei suffusionibus calidis alternantur.

Frigoris

* Vide Dr WILSON on Febrile Diseases, p. 81.

Frigoris sensus aliquando partem corporis tantum occupat, unum alterumve artuum obsidens, dum calor eodem tempore forsitan cæteros urget, vel frigus superficiem externam tantum prehendit, dum viscera calore magno vexantur. Dolor articulorum, capitis, et lumborum, in hoc morbi stadio aliquando supervenit.

Pulsus, antea tardus et debilis, nunc frequens, parvus, et nonnunquam inæqualis evadit. Respiratio crebra et laboriosa fit, et tussi aliquando comitatur. Anxietas circa præcordia sentitur, cibi appetentia imminuta est, sitis autem urget, et nausea, materiæque biliosæ vomitus sæpe accedit. Hic vomitus stadio frigido plerumque finem ponit, et stadium caloris inducit.

Os, et fauces arescunt, lingua albida, atque sordida est; alvus astringitur; urina si bili non tincta fuerit, nullum fere habet colorem, nec sedimentum deponit. Frigoris stadio tumores in corporis superficie decrescunt, et nonnunquam omnino evanescunt, et ulcera sæpe humorem

fundere

fundere desinunt, et sudoris stadio ad pristinam conditionem redeunt.

Superficiei corporis sensus imminuitur, audiendi facultas haud raro obtunditur, et menti perturbatæ accedit delirium, vel id potius cui nomen inter medicos Apoplexia Febrilis est. Somnolentia autem et stupor haud raro ad coma usque ingravescunt.

STADIUM CALORIS.

Frigore gradatim discedente, corporis calor præter naturam augetur, qui paulatim per totum corpus diffunditur. Cutis nunc rubra, calida, et turgida fit, adhuc autem arida; eodemque tempore facies rubet, et intumescit. Æger de calore ardente conqueritur, qui ad gradum 102°, 104°, vel etiam 105° instrumenti Fahrenheiti, sæpe ascendit.

Pulsus regularis, durus, et plenus redditur. Respiratio, etsi suspiriis interrupta, liberior et plenior

plenior fit, sed adhuc frequens; molestus circa præcordia sensus multum sublevatur. Lingua arida, atque sordida cernitur. Sitis ingens est. Urina rubella demittitur, sed nondum sedimentum deponit.

Haud raro caput vehementer dolet, ictus arteriarum circa tempora, tinnitusque aurium nonnunquam adsunt. Dolores articulorum, dorsi, et lumborum ingravescunt. Totius corporis sensus præter modum acutior fit, summa inquietudo et jactatio ægrum perpetuo fatigant, et interdum etiam delirium accedit. Attentio vaga et difficilis fit, neque singulæ rei detineri potest. Lux et strepitus molestiam adaugent.

Ab utero, vel vasis hæmorrhoidalibus, a pulmonibus, naso, vel etiam ab auribus, aliquando erumpit sanguis, et demum incipit stadium sudoris.

STADIUM SUDORIS.

Vi caloris tandem evanescente, sudor initio lenis, et imprimis e palmis manuum, capite, collo, et pectore promanans, tandem copiosus et tepidus per totam corporis superficiem spargitur.

Pulsus mollior, plenior, et minus frequens fit; respiratio facilis est; lingua humida apparet. Sitis minus urget. Urina rubra sedimentum lateritium haud exigua copia demittit. Leniuntur, et restituuntur omnes aliæ functiones, eodemque tempore dejectiones liquidæ et biliosæ occurrunt.

Æger nunc placidum somnum ultro petit; e quo si excitatus fuerit, de languore, et de fatigatione conqueritur. Mox redit cibi appetentia, omnes febriles motus brevi penitus conquiescunt, et plena succedit apyrexia. Languor, et debilitatis sensus, solummodo remanent.

Stadium

Stadium quartanæ frigidum longius, quam tertianæ; hujus vero stadium longius quam quotidianæ est. Omnium horum stadia calida ordinem prorsus contrarium sequuntur. Stadium quotidianæ frigidum quamvis brevissimum sit, stadium tamen calidum atque paroxysmus longiora sunt. Quartanæ stadium frigidum est longissimum, calidumque brevissimum, tertianæ inter utrumque.

Haud rara sunt exempla, in quibus a norma solita deflectunt intermittentes, ut unum alterumve morbi stadium vix conspiciatur, vel omnino absit. Hoc de stadio frigido * maxime verum est. Nonnunquam tamen caloris, et sudoris stadia, una superveniunt. Ordo stadiorum, quamvis rarissime, omnino invertitur, et paroxysmus sudore incipiens, frigoris denuo finem habet †.

Bilis

* Vide Dr CLEGHORN on the Diseases of Minorca. —SENAC, de Febribus.

† Vide BURSERIUS, Institut. Med. Pract.—SCHENKIUS, Observat. Med. Rariores.

Bilis evacuationes copiosæ, epistaxis, diarrhœa, sudores profusi, vel urina copiosa, et turbida, febres intermittentes solvere aliquando observata sunt, et cohiberi non debent, si tantum moderatione, et conditionibus benignis accedant.

Aliquando dolor capitis, coma, delirium, vel singultus, per intervalla statuta recurrentia, unicum est febrium intermittentium indicium, iisdemque remediis plerumque cedunt, vel sine horum usu, solito paroxysmi tempore peracto sponte recedunt.

Quædam signa febres intermittentes aliquando comitantur, quæ vel sola adsunt, vel ita invalescunt, ut solita morbi indicia vix conspiciantur. Inter hujusmodi symptomata, ophthalmia, pneumonia, phrenitis, hepatitis, rheumatismus, podagra, hemicrania, cholera, dysenteria *, et alia bene multa, annumeranda sunt.

* Dr Cleghorn on the Diseases of Minorca.

Febres intermittentes aliis morbis sæpe complicantur, quæ vel prægrediuntur, vel iis superveniunt, ita ut ex his febribus originem duxisse videantur. In regionibus cœli fervidioris, viscerum inflammationes, et obstructiones, diarrhœa, dysenteria, icterus, et hydrops, in locis frigidis, dolores rheumatici frequentius febres intermittentes comitantur.

Intermittentes epilepsiæ, hysteriæ, melancholiæ, et aliis morbis supervenientes, eos quandoque persolvunt.

Hæ febres vere, autumnove aggrediuntur, eo Vernalium, et Autumnalium nomina sibi nactæ sunt. Quarum febres vernales ardentiores sunt, et ad diathesin phlogisticam, autumnales vero ad putredinem tendunt.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Prognosis præcipue impetu, et diuturnitate paroxysmorum, tempore quo morbus permanserit, constitutione, atque moribus præviis ægri pendet.

In regionibus frigidis perraro sunt lethales; funestus tamen exitus, potius e morbis sequelis, veluti anasarca, ascitide, ictero, viscerum obstructionibus, quam morbo ipso repetendus est. In plagis vero calidioribus, ubi si diu extiterit, aut medicamentis idoneis repugnabit morbus, et præcipue si ei supervenerint viscerum abdominalium obstructiones, scirrhositas, et cætera, spes minus quam in frigidis affulget.

Febris ad continuam magis accedans, cutis semper calida et arida, pervigilium, debilitas extrema,

extrema, proclivitate ad syncopem sub conatu positionem erectam assumendi indicata, sensus in regione epigastrica doloris calorisque magni, una cum intermissionibus brevibus, et indistinctis, periculum magnum indicant.

Delirium ferox, aut coma, maxime si inter prima morbi indicia advenerit, magna circa præcordia anxietas, pulsus frequens, debilis, et abnormis, dolor capitis vel lumborum vehemens, respiratio crebra, et laboriosa ; si his accedant facies pallida et collapsa, abdomen tumidum, tensum, durum, et molestum tactu, tonsillarum tumor ; alvus insigniter adstricta, aut diarrhœa colliquativa, præcipue cum odore fœtido, extremorum frigiditas, macularum crebra eruptio urticationem similium, urina fusca, et graveolens, et denique lingua internaque pars oris arefacta, nigra, atque sordida ; hæc omnia conditionem morbi periculosissimam constituunt.

Si evacuationes grana caffæa referentes, ab ore vel ano reddantur, quæ una cum urina in-

scie

scie elabantur; si sanguis e naso perparce, et guttatim profluat; si æger supinus cubans, gradatim ad imum lecti delabitur; si floccos colligere, et res imaginarias, quas ante oculos volitare putat, appetere observatur; si tendinum subsultus, et alia mortis signa nunc etiam valeant, de morbi exitu infausto dubitare non possumus.

Contra vero, si ab initio paroxysmi lenes sint, in apyrexia nulla paroxysmi vestigia remaneant, si corpus sudore calido et universali humectetur, pulsus magis regularis, et lingua humida, atque mundior fiant; morbum si bene sustineat æger, et somnum ultro petat; si symptomata morbida gravissima minus urgeant; si cibi appetentia redeat, et concoctio bene peracta fuerit; si urina turbida sedimentum album, vel subrubrum deponat; si sanguis e naso fluxerit copiosus, et phlegmonum multorum in partibus corporis diversis eruptiones appareant; et denique si omnes animi, corporisque functiones ad pristina salutis munera rite obeunda valeant,

spe

spe tunc optima de convalescentia ægri celeri, et perfecta frui possumus.

CADAVERUM SECTIO.

Sectione eorum, qui hoc morbo correpti fuerunt, viscera nunc thoracica, nunc abdominalia, modo vero utraque inflammata, ulcerata, et omnino corrupta, et putrefacta sese obtulere. Intestina aliquando materia nigra et viscida obducuntur. Horum superficiei externa nonnunquam lympha coagulata tecta, et adhæsiones inter viscera vicina adoperta sunt.

Venæ, et arteriæ magnæ, sanguine nigro turgescunt. Omentum, ac mesenterium sæpe, vel prorsus corrupta, vel coloris fusci apparent, et aliquando in iis videntur tumores. Jecur, et lien pallida, atque tumescentia, hic mollior, admodum flaccidus, vitiatus, et sanguini coagulato, membranaque

membranaque involuta similius, et nonnunquam quatuor aut quinque libras pendens; illud solito durius, et in statu suppurationis adhæsiones, atque junctiones præter naturales faciens, interdum observata fuerunt. Fellis vesica bile distenta patet. Pancreas aliquando mole augetur, et indurescit.

Ventriculus intestinaque proxima simul materia fellea implentur. Glandulæ mesentericæ sæpe tabuisse videntur. Et obstructiones, polypis similes, in venæ portarum ramis aliquando apparent.

Pulmones inflammationis, rarissime vero gangrenæ, indicia ostendunt. Adhæsiones quoque inter pulmones et pleuras, non raro formantur, aliisque in exemplis suppurasse hoc viscus apparuit.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

Causæ usitatius in *Prædisponentes*, et *Excitantes* dividuntur.

Quodcunque directe, aut indirecte debilitatem inducit, et irritabilitatem corporis auget, corpus ad hunc morbum suscipiendum proclivius reddit: hinc animi affectiones deprimentes, sicut timor, mœror, &c. diæta tenuis, pervigilium in locis frigidis et humidis, fatigatio, præcipue exercitatione magna sub soli ardente inducta, evacuationes solitæ præter ordinem profusæ, vel retentæ, vita sedentaria, stimulantium abusum, venus nimia, frigus, aut calor immodicus, crapula, aer nocturnus in regionibus soli propinquis, et in locis paludosis, Eurus, et alia bene multa, inter causas prædispositionem inducentes enumeranda sunt.

Medici

Medici fere omnes nunc de causa excitanti consentiunt. Sunt enim effluvia e locis paludosis et vegetabilibus putrefactis prodeuntia, quæ febres intermittentes excitant; et vix ulla unquam nota fuit intermittens epidemica, quæ ad hunc fontem referri non possit.

De natura propria vero, vel elementis chemicis hoc venenum constituentibus, progressu scientiæ nostræ præsenti, nihilomnino pro comperto habemus. Sunt nonnulli, qui id gas carboretum hydrogenium esse existimantur. Et Dr B. FRANKLIN originem febrium intermittentium hujus aeris impulsui attribuit *.

Febres intermittentes eos, qui ea semel laboraverunt, ad recidivam maxime pronos relinquit, quæ dispositio etiam per totum vitæ decursum remanet, et vento sicciore ab oriente acrius spirante, vel aliis causis, sicut subita tempestatum mutatione, defatigatione, et aliis, quæ

 ad

* Vide Philosophical Works, vol. ii. p. 132.

ad causas prædisponentes jam relegatæ fuerunt; maxime invalere solet.

Eurus ad relapsum hunc morbum perpessos, mirum in modum proclives reddit, et non solum febris recidivam efficit, sed etiam eodem perflante, intermittentes difficilius sanantur.

Aer, et rores nocturni, præsertim in regionibus calidis, miasmatum vim plurimum intendere videntur. Mens depressa ad has febres excitandas multum confert; affectus contra, qui animum erigunt, corpus, utcunque defatigatum, ab omnibus morbi causis incolume præstant. Hinc milites dum in regionibus admodum insalubribus bellum acriter gerunt, secunda valetudine sæpe fruuntur; si autem ad hiberna redeant, morbis gravissimis adoriuntur *.

Sunt,

* Dr Blane's Observations on the Diseases of Seamen.

Sunt, qui lunam * in hanc febrem imprimis haud lenem exercere vim credunt; et alii hunc morbum contagio † propagari posse sentiunt; rarissime autem, si unquam, has causas in regionibus frigidis agnoscit.

CURATIO.

Hæc dupliciter, scilicet remediis durante paroxysmo, ac deinde dum fit remissio, adhibendis, peragenda est; illa ad symptomata mitiganda, hæc ad morbum penitus tollendum, accommodata sunt.

De

---

* Dr Lind's Thesis.—Dr Jackson's Account of the Diseases of Jamaica.—Dr Balfour, on the Influence of the Moon in Fevers, p. 11.

† Vide Trnka, Historia Febrium Intermittentium.

De remediis in stadio frigido præbendis.—Paroxysmo incipiente, æger in lecto calido ponendus est, et stragulis bene tegi debet; potus calidi diluentes, sicut decoctum avenæ, vel oryzæ, et alia ad sitim extinguendam, quantitate qua non opprimatur ventriculus, concedendi sunt. Nonnulli diluentium usum stadio frigido omnino vetant, nisi eo consilio, ut vomitus promoveatur; cavendum autem est a stimulantibus, ut vino, &c. Balneum quoque calidum, et pediluvium, a quibusdam medicis maxime laudantur.

Emetica ad brevius stadium frigidum reddendum maxime pollent, quæ ventriculum, et canalem alimentarium sordibus liberant, et actioni remediorum efficacissimorum, quæ postea adhiberi oportet, plane auxiliantur. Emetica antimonialia, et præcipue tartris antimonii, et potassæ, præ omnibus optima habenda sunt. Si vomitus sponte occurrat, fluida diluentia tepida plerumque sufficient.

Opii tinctura ad triginta, aut quadraginta guttas, sub paroxysmi initio exhibita, cum ægrotus

grotus de sensu frigoris in dorso queritur, et brevibus intervallis iterata, a clar. TROTTER * laudibus ad cœlum extollitur.

Si coma, aut delirium adsint, caput abradendum, eique vesicatorium applicandum est †.

Compressio vasorum humeri dextri, et femoris sinistris, vel vice versa, paroxysmi initio admota, ab ingenioso chirurgo GEORGIO KELLIE ‡, multum laudatur.

De medicamentis, quæ in stadio secundo præscribenda sunt.—Hoc morbi stadium si fieri possit, quam maxime breviandum, et sudor promovendus et. Hoc consilio diluentia, emetica parva dosi, et varia sudorifica, veluti sales neutri, pulvis

* Vide Dr TROTTER's Medicina Nautica, vol. i. p. 316.

† Dr WILSON's Treatise on Febrile Diseases.

‡ Vide Dr DUNCAN's Medical Commentaries for the years 1794 and 1797.

vis ipecacuanhæ et opii, oxidum antimonii cum phosphate calcis (olim pulvis Jacobi), tartris antimonii cum ipecacuanha, in dosibus nauseam excitantibus, adhibenda sunt.

Potus frigidi, acido sulphurico grate acidulati, et medicamenta refrigerantia, sicut nitras potassæ in aqua solutum, aliquando multum prosunt.

Opium, paroxysmo calido incipiente, secundum Lindi * sententiam, adhiberi oportet, quod statim paroxysmo finem inponit, et sudorem copiosum inducit; hoc consilio tincturæ ejus guttæ triginta, quadraginta, vel etiam quinquaginta, assumendæ sunt. Obstipatio, quæ opio aliquando inducitur, usu olii ricini, rhei palmati, vel ex vini aloetici uncia una cum opio adhibita, sublevanda est. Si calor stabilis et ardens sit, balneo frigido, aut tepido, secundum ægri sensum, uti licet.

Si

* Vide Dr Lind's Essay on the Diseases of Hot Climates, p. 313.

Si corpus sit plenum, et copia sanguinis nimia exuberet, si pulsus validus et durus, facies rubra, capitis, pectoris, vel lateris dolor et delirium adsint; ad sanguinis detractionem decurrendum est, quæ sæpe paroxysmum solvit. Cavendum est sanguinem nunquam mittere nisi in stadio calido, vel apyrexia.

Sanguis caute detractus haud parum auxilii sæpe in intermittentibus vernalibus affert, in regionibus frigidis et temperatis, præsertim in tertianis, et ubi diathesis inflammatoria invalet.

Si stadium calidum diu permanserit, atque viscera oppressa fuerint, cathartica lenia, potius autem in apyrexia, adhibenda sunt.

Si sudorem promovere necesse sit, diluentibus et cardiacis mitioribus utendum est, qui tamen si nimius erumpat, quia ad morbum pertinaciorem reddendum, ad viscerum obstructiones faciendas, et proclivitatem ad hydropem inducendam aptus est, indusia et stragula sæpe mutando, ægrumque frigidulum asservando, reprimi debet;

debet; sed aeri gelido subita expositio, utpote recidivæ febris periculum augent, cavenda est.

De medendi ratione sub apyrexiæ tempore.— Hæc curationis pars maximi est momenti, nam a remediis tunc adhibitis, atque aliis rebus observandis, curatio tota præcipue pendit.

Inter omnia medicamenta ad hunc morbum medendum, cinchona officinalis primum locum habet.

Si pulsus validus, plenus, et præcipue durus, facies suffusa, dyspnœa, præsertim si hæc symptomata doloribus rheumaticis, vel pneumonia comitentur, vel alia inflammationis indicia adfuerint, cinchonam adhibere non oportet, donec sanguinis detractio, vel aliæ evacuationes præcesserint. Cinchona tunc, secundum effectum in ventriculum inductum, assumenda est, et scrupuli duo vel drachmæ duæ, secunda quaque hora intermissionis tempore, et sub forma qua minime lædatur ventriculus, adhibendæ sunt.

De

De tempore, quo cinchona officinalis dari debeat, alia alii medici opinantur. A multis statim post paroxysmum, atque per brevia intervalla, donec redit febris, parva dose præbetur; ab aliis autem per paucas horas solum ante paroxysmi adventum, atque dosibus majoribus idem fit: si apyrexia brevis fuerit, et ingens adsit debilitas, ad hoc remedium etiam in stadio sudoris decurrendum est.

Cum alvus cinchona nimis citatur, exiguæ opii doses vel quodvis medicamentum astringens, una cum illo remedio dentur. Cum alvus tarda evadit, huic incommodo parva rhei, jalapæ, vel olei ricini quantitate, optime subvenitur.

Præter cinchonam officinalem aliæ substantiæ utiles censentur, veluti Cinchona Jamaicensis, Cinchona Caribbæa, Angustura, cortex Telicherensis, et Salicis albæ, Swietenia febrifuga, quæ omnes in febribus intermittentibus fugandis utiles repertæ sunt. Cinchonæ quoque effectum adjuvare existimantur Aristolochia

serpentaria, Allium sativum, Arnica montana, et alia. Plures res amaræ atque astringentes adhibendæ sunt, ut Artemisia absinthium, Centaurea benedicta, Anthemis nobilis, Gentiana lutea, cortex Querci roboris, Quercus cerris, et alia bene multa. Multæ quoque substantiæ aromaticæ, sicut camphora, myrrha, moschus, et alia sunt remedia satis idonea.

Varia metalla, sicut ferrum, zincum, hydrargyrus, cuprum, et medicamenta diversa ex his parata, subinde cum fructu usurpata fuere ; arsenicum autem in hoc morbo adhibitum, effectus forsitan fortiores, quam ullum aliud remedium parit. Solutio arsenicalis, (sub forma Doctore Fowler inventa), hujus medicamenti usui maxime accommodata est. Pars grana octava oxidi, vel solutionis Fowlerianæ guttæ duæ, quæ ad duodecim augeri potest, multum prodest.

Vomitus, tormina, ventriculi, intestinorum, capitisque dolores, sudores, et tremores, parvis etiam exiguis dosibus quamvis caute datis, non-

nunquam

nunquam oriri solent. Hæc vitia occurrentia, solum intermissione arsenici, aut opii parvis dosibus cum illo conjuncti, aut remediis laxantibus, atque emeticis præbitis, removeri possunt.

In diæta his febribus rite instituenda, ad ventriculi stadium plurimum respicere interest, quoniam dyspepsia sæpissime morbi comes est, vel e remediis ad eum fugandum necessario assumptis, proveniat. Si adsit debilitas extrema, cibus nutriens, modicus vini Madeirensis vel Lusitani usus, vel cerevisiæ fortis, vel alius liquoris fermentati, concedendi sunt.

Cum vires concoctrices multum imminuantur, ad remedia dyspepsiæ accommodata, confugiendum est. Vinum rubrum aqua probe dilutum, modice assumendum est.

His autem parum proficitur, nisi exercitatio sub dio concurrat; gradus ejus et genus, pro ægri viribus, et habitu, variari oportet. Præ omnibus aliis exercendi generibus, gestatio, et navigatio, majora commoda afferre videntur.

Frictio

Frictio illarum loco, commode substitui potest. Nec minus interest in hoc morbo quam in aliis, advertere admodum quo mens exerceatur.

Navigationem brevem indies facere, robori restituendo multum favebit. Si hæc fieri non possit, æger ad regionem salubriorem se movere, et exercitatione levi uti, sub aere puro, juberetur.

Si vero loci mutatio effici non possit, tunc omni modo, quo possumus, halitus noxios, qui ægrum circundant, imminuere debemus. Hoc consilio, ventilatio quam liberrima semper servanda est. Cubiculum ægri sæpe gaze nitroso, ut a Doctore C. SMITH * præceptum est, fumigari debet.

Acetum aromaticum, aliaque aromatica, circa lectum ægri, vel in ejus cubiculo, spargenda sint. Alvi dejectiones e cubiculo ægri statim amoveri debent.

---

* Vide Effects of Nitrous Vapour.

FINIS.